



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 109. Sententia Episcoporum institutioni ex jure divino faventium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

duo testimonia ex eodem Cardinale ^{Sæcul. XVI.}
 Turrecremata super primo Canone di- ^{A.C. 1562.}
 stinct. 21. & super Canone *legimus* in di-
 stinct. 93. adducta.

§. CIX.

*Sententia Episcoporum institutioni ex
 jure divino faventium.*

Verum contrariam opinionem propu- ^{Pallav. n. 8.}
 gnabat Gadas Episcopus Lucensis,
 arguens, quod a Deo Episcopi potissi-
 mum, ut populum regerent, ac mode-
 rarentur, fuerint positi, adeoque repu-
 gnaret divinæ sapientiæ is, qui diceret,
 ipsis collatam a Deo non fuisse au-
 thoritatem: postea Synodi Constantien-
 sis auctoritate suam opinionem confir-
 mabat: attamen Franciscus Gibertus
 de Noguera Episcopus Aliphanus mediæ
 cuidam sententiæ adhæsit, ratus, ju-
 risdictionem quidem Episcopis traditam
 a Christo, illius vero materiam ad eam
 exercendam ipsis designatam a Ponti-
 fice: his addit verba illa, *Pasce oves
 meas*, non fuisse soli Petro dicta, sed re-
 liquis etiam Apostolis, juxta doctrinam
 quam tradiderunt S. Leo I. in ferm. 2.
 in die Natali SS. Petri, & Pauli & Au-
 gustinus in lib. Pastorum; Cyprianus,
 Ambrosius, & Innocentius III. in sua e-
 pistola recens in lucem edita, qui omnes
 fatentur, quod Christus locutus fue-

Sæcul. XVI. rit Petro una cum reliquis omnibus Apo-
A.C. 1562. postolis: unde sequeretur, eam auctori-
 tatem in reliquis etiam perfituram
 quamvis cum eo solo postea locutus es-
 set, ut significaret, licere Petro illam si-
 ne reliquis exercere. His ita prolatis
 Sebastianus Vantius Ariminensis Episcopus,
 atque Ecclesiæ Urbevetanæ Administrator,
 cujus doctrinæ præclarum extat vestigium
 in ejus Tractatu de Nullitatibus in processibus,
 alia distinctione usus est, atque ita differuit:
 „in dubium nequit vocari potestas Episcopatus;
 „nam quantum spectat ad Ordinem, est de jure
 „divino, cum omnes consentiant, Episcopos
 „Apostolis succedere, prout habetur in Canone
 „in nomine distinct. 21. & in lege penultima,
 „Cod. de Episcopis, & Clericis. Præterquam
 „quod vis imprimendi dona naturam superantia
 „nonnisi a Deo conferri possit. Sed si, inquiebat
 „ipse, de jurisdictione fit sermo, hæc dividitur
 „a jurisdictione in voluntariam, & contentiosam,
 „quorum prima non exercetur nisi in volentes,
 „posterior autem usurpat etiam in repugnantes:
 „Voluntaria quippe, quæ personam comitatur,
 „administrari potest, ubicunque quis sit, ex lege
 „secunda, & ex glossa ibi in titulum de offic. præf.
 „& leg. contentiosa autem alligatur loco,
 „adeoque alibi ex-

„exerceri non potest ex lege finali
 „de jurisdictione Jud. & ex capit. coram,
 „& ex capit. ultimo, de officio leg. cum
 itaque hujus jurisdictionis exercitatio
 locum simul, ac dignitatem postulet,
 ficuti observant Canonum Doctores, ex
 his concludendum est, quod Ordinis
 potestas a Christo, jurisdictionis vero a
 Romano Pontifice proveniat, si hoc de
 contentiosa, non de voluntaria intelli-
 gatur; ac de eo communiter convenire
 Canonum interpretes affirmabat Præsul.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

§. CX.

*Segniensis in Croatia Episcopi
 sententia.*

Postea Frater Georgius Zischowid Se-
 gniæ in Croatia ad Sinum Venetum
 Episcopus ex Ordine S. Francisci, qui
 Granatensis Archiepiscopi sententiam
 adoptabat, hunc in modum differebat:
 „nunquam credidissem, fore, ut aliquan-
 „do in dubium a quadam Synodo vo-
 „cetur: an Episcopi a Christo sint in-
 „stituti, atque habeant auctoritatem ab
 „eodem; nam si a Deo eam non ac-
 „cipiunt, nec Concilium quidem, quod
 „ex Episcopis consistit, ab eodem suam
 „auctoritatem haberet, necessarium enim
 „est, ut omnis cætus etiam numerosissi-
 „mus, ab eodem auctoritatem inde ac-
 „quirat, unde singuli, e quibus constat,
 „suam

Sarpus l. 7.
 p. 591. & 592.